

At, eo tum loci custodiebantur; ab Julio sunt dimissi. 1510
 dimissi quoque ab Joanne Jacobo Triultio, liberalitatis in
 rempublicam nomine, cives item Veneti tres, qui tribus
 Galliae municipiis praefuerant, Mediolanique in custodia
 illos menses totos fuerant, Joannes Grimanus, Alexan-
 der Georgius, Philippus Calbus, atque usque in urbem
 ab ejus ministro perducti. Aloisius Mocenicus, Joannes
 Cornelius legati ad pacem cum Maximiliano tractandam
 missi, uti superiore libro demonstratum est, atque in Al-
 pes profecti, regiis internunciis, qui ad eos venerant, rei-
 publicae datis muneribus (ea erant vini Cretici pretiosio-
 ris, cerae albæ ad tenebras expellendas, fructuum in Ae-
 gypto conditorum ad regias epulas omnis prope generis
 non parva copia) sermonem cum iis complures dies ha-
 buerunt, non unusque in locis una fuerunt. neque tamen
 pax iniri potuit; cum illi omnia, quæ in Maximiliani
 potestate proxime fuerant, a Senatu peterent, Senatus ni-
 hil eorum, quæ ante bellum obtinebat, vellet amittere:
 dependere quidem Maximiliano aliquam pecuniæ vim se
 obligasset, si de reliquis fœderis capitibus, quæ propone-
 bantur, convenire inter ipsos potuisset: sed obstinatione,
 duritieque ambarum partium factum est, ut infectis rebus
 ab utrisque domum discederetur. ita ea multorum die-
 rum tractatio & mora, quæ suspensos atque sollicitos Pa-
 trum animos habuerat, postremo ad nihilum rediit.

Interim, quod Lauretanos, qui est pagus in Padi flu-
 minis derivatione, Alfonsi copiae incenderant, Senatus-
 consultum factum est, ut ejus pagi homines Fossam Clo-
 diam ad incolendum se reciperent, atque ab oppidanis
 rebus omnibus juvarentur: quasque antea onerum & tri-
 butorum immunitates domi obtinebant, eisdem immuni-
 tatibus eis frui Fossæ quoque Clodiæ liceret. itemque al-
 terum, uti Belunienfes & Pagenses annum unum immu-
 nes essent, neque ad solvendum creditoribus cogi possent.
 Idem Senatus cum videret multo maximam esse in urbe
 copiam eorum ex plebe civium, qui aliquo reipublicæ mu-
 nere fungerentur: quo in munere aut stipendii menstrui,

H. Bembi.

A a

aut

*Varia Se-
natus consui-
ta.*